

NVM LONGIOR ALICVI^{97.}
VITA VOVERI DE.
BEAT

a. n. 352, 38.

T. 174

II f
1421

INQVISITIO POSTERIOR
QVA PRIOR AMPLIFICATVR ET VINDICATVR

SIMVLQVE

CELSISSIMI COMITES AC DO-
MINI

SVMME VENERABILES INSPECTO-
RES ATQVE MAECENATES

VT ET CETERI

QVI MVSI NOSTRIS FAVENT AC BENE CVPIVNT
AD AVDIENDA PVBLICA VOTA

SVB INITIVM ANNI MDCCCXXXV.

IN ILLVSTRI RVTHENEO NVNCVPANDA

SVPPLICITER DEMISSE OFFICIOSE

INVITANTVR

AB

IOANNE. GOTTFR. HAVPTMANNO.

A. M. & GYMNASII CONRECTORE.

OVID L. I. FAST. v. 71.

*Prospera lux oritur; linguisque animisque fauete;
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.*

GERAE

LITTERIS VIDVAE WINTERIANAE.



Quem ad modum nihil magis est pusillum,
 quam contentiosus sophista; ita nihil, in re pu-
 blica litteratorum, vtilius, quam amicus e-
 mendator. Vis vnita fortior. Et, si qui, con-
 iunctis quasi viribus, ad perfectionem tendere
 solent; nullum est dubium, quin viam inueniant,
 eo expeditiorem. Istuc spectabant olim, laudatissi-
 mae illae recitationes veterum, quae hodie, per lit-
 terarias doctorum societates, tanto cum eruditionis e-
 molumento, rursus excitantur. Istuc etiam pertinent,
 si legitime fiunt, disputationes publicae, atque aliae sapi-
 entum disceptationes, quarum ex effectibus, satis super-
 que, adparet, quid profint dubia ingeniosiora. Adeoque,
 cum ita se habeant illa, non potuere non periucundae
 mihi esse, & maximam omnino gratiam mereri, vel pau-
 cissimae dubitationes, disquisitioni, *num longior alicui*
aetas voueri debeat, oppositae, animoque beneuolo
 mecum communicatae. Quippe quas, tantum abest,
 vt publica luce indignas existimem, vt statim potius
 consilium ceperim, peculiarem, iisdem lustrandis, com-
 mentati nem dedicandi. Praesertim, cum ipse mihi
 plura finxissem miscenda, quae, non sine specie, in negan-
 tem dici partem posse, credebam. Ad tres autem potis-
 simum classes, referri poterunt omnia, quibus, priori
 conscriptione, haud prorsus esse satisfactum, non nul-
 lis posset videri. Quod scilicet istius modi vota sint
 inutilia, quod noxia, quod irrita denique ac vana.
 Non amplificant salutem aeternam viuaces, obiicitur,
 cum illam ipsam, minime bonorum operum cumulo,
 sed, ex mera gratia diuina, quae omnes credentes aequè
 tangit, consequamur. Vnde &, primi pariter ac postre-
 mi,

mi, suum accepisse denarium dicuntur, Matth. XX, 8. Iqq
 Quod si autem huius temporis felicitatem respexerimus,
 neque illa tanti est, vt quem propterea, aeternis a deli-
 ciis, detinere velimus, cum, hoc ipso respectu, noxiae
 potius adpellari queant eius modi preces. Ipse spiri-
 tus diuinus, malos esse dies, confirmat, &, interprete Sa-
 lomone, diem mortis meliorem praedicat, die natiuitatis,
 Cohel. VII, 1. Multi profecto senes damnantur, qui, pueri
 atque adolentes, si quidem essent sublati, beatitatem
 forte consequuti fuissent. Praeterea, dantur homines,
 qui tam desperatis morbis laborant, vt sola illis mors
 adferat medicinam. Dantur etiam fruges modo con-
 sumere nati, qui nihilo minus senes euadunt, licet nil fa-
 ciant, quam edant, bibant, ludant, adque omnia sce-
 lera, qui penes se sunt, homines seducant. Haec
 omnia considerantes, sanctissimi coetus Christiani pa-
 tres, ipsam per tormenta necem, certatim adpetiue-
 runt, ac saepius sane testati sunt, nihil humana vita
 miserius, nihil morte optabilius esse. Non iam adpo-
 nemus, quae, *περὶ τῆς ἀσάτου καὶ ἀβεβαίου τῶν ἀνθρώπων πραγ-
 μάτων κατὰσάσεως κ. τ. λ.*, ex sanctissimarum litterarum at-
 que aliorum patrum monumentis, collegit IO. DAMA-
 SCENVS, in *sacris parallelis litt. à tit.* IO. T. II. Opp. p.
 316, ed. Paris. 1712. Vel summi illi duu:nuiri prodeant,
 GREGORIVS *Nazianzenus* & IOANNES *Chrysoſtomus*, quo-
 rum ille quidem, non solum carminum variorum deci-
 mo quarto ac decimo quinto, p. 89. sqq. opp. ed. Lips.
 1690. sed & iambicorum nono, p. 197. multa eo per-
 tinentia profert: hic autem v. g. *in expositione psalmi*
 CX. T. III. Opp. p. 295. ed. Francof. *τί γὰρ, αἰτ, εἰπέ μοι, βαρὺ*
ὁ θάνατος ἔχει; οὐκ ἀπαλλαγὴ πόνων ἐστίν; οὐ λύσις φρονηδῶν; οὐκ αἰούεις
τοῦ ἰωβ αὐτὸν ἐγκωμιάζοντος καὶ λέγοντος· θάνατος ἀνδρὶ ἀνάπαυσις οὐ ἡ οὐδὲς
ἀπεκρέβη;

ἀπεκρῦβη; οὐκ ἐκκοπή κακίας; quid enim graue, dic quaeso, ha-
bet mors? annon liberat a laboribus? annon a curis eripit?
Annon audis lob eam laudantem & dicentem: mors ho-
mini requies, cuius via est absconsa? lob III, 23. Annon
ea vitium rescindit? Et paullo post, p. 298.

θανάτος οὐ
φοβηκόν, ἀλλὰ καὶ ποθεινόν τοῖς ὀρθῶς βιόουσι, mors non modo non
est grauis, sed etiam optanda iis, qui recte viuunt. Immo
vero, ipsi Deorum cultores, qui tamen, quae praeparaue-
rit amatoribus suis NVMEN SVPREMV M, ignorarunt, vitae
longiori mortem praetulerunt. Sic M. AVRELIVS L. II.

C. 17. ὁ βίος, αἰτ, πόλεμος καὶ ξένου ἐπιδημία, vita bellum est, & pere-
grini, in alio solo, commoratio, conf. c. 14. vbi THOMAE GA-
TAKERO videtur in mente habuisse MENANDRI istud in
fragm. τοῦ ὑποβολιμαίου, apud STOBÆVM TIT. 122.

- - τῶν εὐτυχέστατον λέγω,
ὅσους θεωρήσας ἀλύπως, παρμένον,
τὰ σεμνὰ ταῦτ' ἀπῆλθεν ὅθεν ἤλθεν ταχύ.
- - hunc beatissimum aio,

*Quicumque, sine moerore, Parmeno, contemplatus
Pulcra haec, quam primum abiit eo, unde venit.*

Hanc in sententiam, idem ille MENANDER, in δις ἀπατ. apud
PLVTARCHVM in παραμυθητικῶ πρὸς Ἀπολλώνιον p. 119.

Ὅν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν ἀποθνήσκει νέος
Quem Dii amant, is moritur iuuenis.

Celebratur etiam, inter alia sexcenta, POSIDIPPI illud
effatum:

Ἦν ἄρα τῶν πάντων τὸ δὲ λωΐον ἢ γενέσθαι
μήποτε, ἢ θανεῖν ἀνίκα τιμώμενον,

Ex interpretatione LVSCINII:

*Vtrum igitur malis optandum, vel neque nasci
Vnquam, vel fato perniciose rapi.*

Et hoc MIMNERMI, quod, elapsa iuuentute:

Ἀνίκα δὴ τεθάναι βέλιον ἢ βίος,

Statim praestat mori, quam viuere,

Sed

Sed, quid multis? irrita prorsus atque vana sunt talia vota. Quaecumque scilicet fiunt in mundo, vel futura sunt, ab aeterno DEVS praeuidit. Ille ipse rerum ordo, a nemine, praeterquam ab auctore, qui numquam decretorum suorum poenitentiam agit, interrumpi potest atque mutari. Ad istum rerum ordinem, quilibet etiam homo referendus est, quippe cuius vitam, limitibus dudum, DEVS circumscripsit. Precibus itaque nostris, vel illud desideramus, vt, tam diu, vitam homini concedat DEVS, quam diu ab aeterno decreuit; & tunc sane nullus indidem fructus capitur: vel id cupimus, vt vitae spatium, ab aeterno constitutum, amplificetur; tunc autem voluntati diuinae ac decretis repugnamus, quae, omnibus votis, ne minimum quidem, immutabuntur.

At enim, fortasse tot ac tam grauibus, vt videri possent, argumentis, nondum omnia sic erunt confecta, vt nihil prorsus opponi queat. Ipsa igitur illorum vestigia sequuti, non nihil monebimus, atque accuratiori lima subiiciemus. Primo quidem, ad similitudinem illam, de hominibus, in vinea DOMINI, operariis, depromptam, quod adtinet, non ignoramus, quanta sit interpretum diuersitas, quae, praeter commentarios sacros, *Hafsiacos* pariter ac *Berolinenses*, eodem titulo conspicuos, vel ex IO. GVIL. PETERSENI, CAMP. VITRINGAE, IO. IER. HEDERICI, IO. GE. DORSCHER, IO. HENR. SCHRAMMII, THEOD. HASAEI atque aliorum laboribus, satis superque patebit. Nostram vero, si proferre debemus, sententiam, dictum illud huc plane non quadrat, cum haudquaquam vita aeterna, per denarium istum, indicetur, id quod, tam ex aliis, quae rem circumstant, momentis, quam praesertim, ex cap. XVIII, 29, luculenter satis adparet. Inde

pariter, non omnes primi, postremi futuri, dicuntur, sed multi l. c. v. 30. pauci vero electi nuncupantur. Esto tamen, significetur aeterna vita; priores saltem praestantiores sibi visi, re autem vera, non fuissent. Mercedem enim paciscebantur (*συμφωνήσαντες*) non, ex sinceriori affectu, sola benignitate diuina fulti, laborabant. Quod vero gradus sint constituti, secundum opera, aeternarum delectationum, id, vt argumenta taceamus, iam olim adlata, ex eo fortassis etiam elucet; quoniam, sanctissimis illis ac purissimis mentibus, quas inter diuersos ordines esse, ac peculiare praerogatiuas, ipse SPIRITVS DIVINVS obseruat, beati sunt aequales futuri. Si vero, ex parte mortalium, qui fidei tamen auxilio, ad quam conditi fuerant spiritus isti, beatitatem adquirunt, excellentias DEVS, coeco quasi impetu, distribueret, ac, minus forte vel deterius operato, maiorem concederet gradum: *προσωποληψίας* speciem vix effugeret. Praeterea, nos etiam iuuabit, quod, quo quis arctius, cum DEO, summo illo ac perfectissimo bono, coniungitur, eo etiam maior nascatur beatitas. Dum igitur, crebriores per actiones, alacritas acquiritur, & quo quis progreditur altius, eo propius accedit ad scopum: licet, summam perfectionem, hac in vita, neutiquam adtingamus; eo tamen ardentius, eo longiori nisu, conandum est, vt, vel prae ceteris, ad qualemcumque adspiremus, Matth. V, 48. atque adeo, coniunctionem cum DEO, per fidem factam, sedula virtutum diuinarum aemulatione, demonstramus, confirmemus, promoueamus. Quae cum ita sint, satis abundeque constat, quod, non optare longiorem vitam, in tranquilla mentis, sub, benignissimam pariter ac sapientissimam, voluntatem diuinam, subiectione, cum ipsa sana ratione, pugnare videatur. Sanae nimirum rationis est,

est, omnes actiones eo dirigere, vt maximae perfectiones, status nostri atque aliorum, quae quidem oriri possunt, orientur. Deinde, quo noxium inesse probatur eiusmodi votis, oraculum Paullinum, Eph. V, 16. praemissam statim habet responsionem: *ἐξαγοράζει τὸν καρπὸν*. Nemo, inquam, opportunitate prudenter vtens, in tempus facile incidet, quod, sufficienti de causa, malum, omni ex parte, nuncupari queat, quamuis, negotiorum plenissimum inueniatur. Ea propter, haud etiam negamus, potiore esse mortis, quam natiuitatis, diem: cum alter sit praemii, alter laboris. Sed, ille praecedat, necesse est; cumque, laborum cumulo, multis praemium modis amplificetur, non sine causa, plurimos antecedere desideramus. Vbi vetuli porro in malitiam incidunt ac damnationem, adulatio forte iuuenibus adfuit, neque in DEVM cadet culpa, si, quam augere potuissent, salutem, perdunt negligentiores. Vt & talia vota, non sine conditione, proferuntur, quo scilicet, ad gloriam diuinam, nostramque atque aliorum salutem, pertineant. Inde pariter, nil est, cur nobis, inutilia terrae pondera, desperatoque morbo laborantes, obiici mereantur: quoniam simul & conditionis emendationem voeuimus. Quid? quod ipsi vitiorum cultores, miseriae scelerum, tolerantiae item, iustitiae atque irae diuinae, praebent documenta: morbus vero, & maxima quaeque calamitas, ad eo maius pertinere commodum potest. Non tam patitur homo, quam compestitur, atque a peruersa libidine detinetur. Quanto acerbior mundus, tanto dulcior CHRISTVS. Vbi miser nullus, nullum incitamentum misericordiae ac beneficentiae, nullum exemplum patientiae, reperitur. Contra eadem, multis calamitatibus pressi salutis viam calcemus, oportet,

oportet, dum, iure suo, *crux triplex, triplicem adferre* dicitur *coronam*, dumque, hac ipsa ratione, digni censetur, *SERVATORIS* qui vestigia premamus; pessima etiam quaeuis, & maximas calamitates, loco bonorum habere, vid. *CHRYSOSTOMVS conc. 5. de Lazaro T. V. Opp. p. 92.* centies, amissa recuperare *Marc. X, 30.* vere beatis adnumerari, *Matth. V, 4.* poterimus. At enim, tot, Christianarum pariter ac profanarum gentium, exempla nobis obstant. Nouimus impatientes istos, partem etiam sinceriores, qui illud *Monicae: euolemus! euolemus!* ad rauim vsque, repetunt. Integros populos nominare possumus, qui, nascentibus fletum, morientibus risum atque iocos, dedicauerunt. *Trausi, Getae, Caufiani* consuetudinem istam obseruasse dicuntur. Sed, vt taceamus, exemplarem illustrare, non confirmare, plures esse istius modi desideriorum causae potuerunt. Exempli gratia, calamitatibus afflictis mortem desiderabant, releuati deprecabantur. Quod *OVIDIUS* fecit *L. I. de Ponto El. 2. v. 59.* Vt & *THOMAS* ille *MORVS*, cum nex instaret, ad constantiam ostendendam, ac semetipsum erigendum, habuit omnino, cur diceret:

Vita quid est hominis? nisi luctus, plena malorum;

Dicatur nitido pulchra colore licet, ceter.

Praefertim vero, vitam ac mortem diuerse considerabant, illius salutem incommoda, huius commoda intuentes. Id quod & de testimoniis valebit: Vnde factum est, vt iidem, non raro, alio respectu, contrarium plane sentirent. Ita *GREG. NAZ. T. I. Opp. or. 15. p. 226.* *σέφανον καυχῆσεως* senectutem adpellat. *CHRYSOSTOMVS* autem in *expof. Psalmi CXVIII. T. III. Opp. p. 369.* ταῦτα λέγων, ait, *ὅτι τῆς παρούσης ζωῆς καὶ ηγορῶν ἡν γένοιτο καὶ γὰρ τὸ ὄψο ἔργον θεοῦ, haec dico nequaquam vitam praesentem accusans; absit: ea est enim opus DEI.* Nil a *DEO* malum, vnde sequitur, vt istud etiam optimi *NVMINIS* donum, secundum ordinem diuinum, conseruemus, tueamur, optemus. Quid de profanis gentibus dicam? Non ita stultus semper philosophorum ac vita, verbum atque animus, consentiant, vt indidem argumentum, omni exceptione maius, haurire queamus. Contemnat vitam, mortem flagitet *Stoicus*; forsitan, veniente, repeti poterit *Admeti* illud, apud *EVRIPIDEM* in *Alceste* v. 669:

Μάτηρ

Μάτην ἀεὶ οἱ γέροντες εὐχόμενοι θανεῖν,
Γῆρας ψέγοντες, καὶ μακρὸν χρόνον βίου,
Ἦν δ' ἐγγύς ἔλθῃ θάνατος οὐδείς βούληται
Θνήσκειν· τὸ γῆρας δ' οὐκ ἔστι ἐστ' αὐτοῖς βαρύν.

Frustra senes optant mori,

Vituperantes senectutem & longum vitae tempus.

Si enim prope veniat mors, nemo vult

Mori, senectus vero non amplius est ipsis grauis.

Conf. LVCRETIVS III, 107. MARTIALIS L. XI. epigr. 57. SE-
NECA *De breuit. vitae* c. II. cet.

Ipsi illi, qui uitam culpant solent, philosophis non dissimiles, de contemnenda gloria scribentibus, simul, fugacissimam esse ac breuissimam, queruntur. Luculentum huius rei testimonium praebent, tum alii, qui sententias veterum, eo spectantes, collegerunt; tum nominatim LILIVS VICENTINVS, & declamationem illius, qui auctiorem vulgavit, IOANNES POLLICARIVS. Quid? quod sunt omnino, & sunt multo plures, ingenicum qui vitae amorem, aperte satis, professi fuerunt. Non heri tantum, aut nudius tertius, inuecta fuit, longiorem vitam precandi consuetudo; sed iam, inter antiquissimos, CHRISTI pariter ac Deorum cultores, celebrata. Illam ipsam, TERTVLLIANO teste, in apolog. c. 30. Magistratibus suis atque imperatoribus, patres diuinissimi coetus vovebant. Quid, ex altera parte, magis notum est, quam TIBVLLI precatio? L. III. El. 5. v. 23:

Elyfios olim liceat cognoscere campos,

Letbaeaeque vatem, Cimmeriosque lacus:

Cum mea rugosa pallebunt ora senecta,

Et referam pueris tempora prisca senex.

Atque istiusmodi preces, eo maius, in argumentando, pondus habent, quo minus profanae gentes, de aeternis illis delectationibus, ita promovendis, certae fuerunt atque securae. Verum enim vero, auctoritatibus fulciantur, qui argumentis non possunt. Nos, posthabitis personis, rem persequendam esse, putamus. Ita vero ad id accingimur, quod maximum, in alia discedentibus, prae se ferre momentum videbitur. Irrita nimirum istius modi esse vota, clamabunt. Huic dubio, quamquam satis facere iam meminimus, ubi, laudabilem, sub annorum initia, gratulandi rationem, defendebamus; non nihil tamen, ad maius, eo tempore pronuntiatis, robur addendum, nunc etiam moneamus. Quam speciosum hoc est argumentum, si rationis saltem ductum sequemur; tam infirmum, si quidem sanctissima oracula simul admouebimus. Sed, nec istic, nisi speciem, habet; dum ipsa natura, preces fundere, quaslibet gentes docuit. Vt & facile concipi potest, quod ille, qui, singulos vitae nostrae dies, libro rerum omnium, qua pollet, scientiae, ab aeterno, inscriptos tenet, cunctas pariter preciorum cogitationes, preces, intercessiones, habuerit exploratas, atque ad

eadem, vitae nostrae tempus, quatenus, salua ipsius sapientia, iustitia, bonitate fieri potest, accommodarit. Secus si esset; cur, quaeso, DEVS istius modi vota mandasset? cur promissionem adiecisset? & quo denique, tot hominum, sanctissimo spiritu actorum, exempla referremus? Audiamus Iacobum c. V. v. 14. seqq. de aegroto disputantem: *προσθεύξασθωσαν ἐπ' αὐτὸν - - εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα* κ. τ. λ. Conferamus, quae DEVS ipse, quae alii viri diuini pronuntiarunt; Gen. XX, 7. Iob. XXXII, 8. Pl. Cl, 25. Matth. v, 44. Eph. VI, 18. 19. 1. Tim. II, 1. 2. cet. Praeterea, quid de auxiliis sanitatis, de praesidiis securitatis, de cautione tempore vexationis & contagionis, de sui ipsius homicidio, de quibusuis promissionibus summi NUMINIS ac minis, de omni denique mortalium libertate, fieret; si necessitas ista concederetur? in quam incidant oportet, qui omnium rerum scientiam, a decretis, voluntate diuinam, quam dicunt *ordinatam*, ab *absoluta*, non satis accurate distinguunt.

Plura forent, quae, in rem praesentem, dici potuissent, ni. iam consecram arbitratu, quapropter haec exarauerimus, indicare malle. Scilicet, & nostrum esse iudicamus, sub anni primordium, ardentissima vota, demississimae, piaae, deuotissimae, amicissimae mentis documenta, persoluere. Illud ipsum, publico gymnasii nomine, facient ornatissimi iuuenes:

CHRISTIANVS ANDREAS MÜLLER *Weissenfca Thuringus.*

Qui DEO, DOMINIS, INSPECTORIBVS, MAECENATIBVS atque aliis, qui, de hoc Athenaeo, praeclare meruerunt, gratias aget, &, ad postea dicenda, viam quasi praeparabit, *Or. Graeca.*

CAROLVS CHRISTIANVS WIEGENHEIM *Io. Georg. Politanus.*

Qui Salomonem, *fastissimae sapientiae exemplum*, contemplatus, CELSISSIMVS COMITIBVS ac DOMINIS nostris, aemulatoribus illius sapientissimis, parem virtutibus forem ominabitur, *Or. Germ.*

IO. CHRISTOPHORVS GOETZE *Einebornensis.*

Qui SVMME VENERANDIS INSPECTORIBVS, atque aliis MAECENATIBVS, cum Daniele, prudentissimo illo *Babyloniae regum consiliario atque praefecto*, comparatis, sanctum quoduis ac serenam optabit, *Or. Germ.*

CHRISTIANVS ERID. LOESCHERVS, *Theuma Variscus.*

Qui Paulum, *dexterrimum ac felicissimum totius orbis praeceptorem*, silet, atque indidem occasionem accipiet, CELEBERRIMIS PROFESSORIBVS, & PVBLICIS DOCTORIBVS, gratulandi, *Or. Lat.*

CAROL. GOTTLÖB KOHN, *Weisbachensis.*

Qui, Abrahamum *fortunatum* considerans, domos CETERORVM FAVORVM, MVNICORVMQVE CIVIVM, illius simillimas esse, precabitur, *Or. Germ.*

CHRISTOPH. THEODORVS LINDNER, *Geranus.*

Qui, *commilitonibus sigillatim suis, Iosephi iuuenis exemplum*, in oculis semper ferendum, commendabit, atque ita honoratissimos semper, ditissimos ac beatissimos fore, ostendet, *Or. Lat.*

Ad audiendas illas orationes, quae, primo futurae hebdomadis die profesto, H. L. Q. C. promta ex memoria, recitabuntur, ipsos CELSISSIMOS COMITES, DOMINOS nostros, CLEMENTISSIMOS, INSPECTORES item ac MAECENATES SVMME VENERABLES, vt & reliquos honoratissimos viros, litterarum elegantiorum & Gymnasii nostri amantes, qua pars est, animi demissione, pietate, obseruantia atque humanitate, inuitamus. Si quid simul, vt sollempne seruetur, & hoc est loco vouendum, vt sic vnusquisque, vitae ac fortunae rationes semper collocatas habeat, precamur, ne iustam inuenire possit causam, cur, aut, tempus elapsum, vnquam anteponar praesentis, aut, deinde futurum, impatienter expectet P. P. Kal. Jan. A. R. D. Clō 15CCXXX.

Ex epigrammate, quod, cum aliis, VIRGILIO MARONI tribuitur.

Clarus inoffenso procedat lumine Titan,
Laetificusque dies eat omnibus aethere claro;
Vosque simul, iuuenes, animis ac voce fauentes,
Concelebrate diem, vctis felicibus, alnum,
Prosper vt is semper redeat.

In veterum & illustrium Saec. XVI. Poëtarum epigrammatibus, a CAMILLO NICOLIO illustratis, & Florentiae 1738. editis, p. 38.

INDEX

Eorum, qui, anno praeterlapso, inter secundae classis alumnos, iisdem, quibus superiori, legibus, orationes, promta ex memoria, ductu nostro, extra ordinem, recitarunt, ad calcar diligentiae subiiciendum, & alios pariter concitandos, publici iuris factus.

IO. NIC. WIFEL, *Steinabensis,*

De praerogatiuis pauperum, in litterarum studio, dixit, *Germ.*

IO. ERN. NAEGLER, *Geranus,*

1) Principem sapientem proponens, celsissimo comiti ac Domino nostro, Domino HENRICO I. cet. natalem demisse gratulatus est, 2) Elegantiam morum commendauit, *Germ.* 3) Voluptatem vituperauit, 4) Iacobum minorem verae pietatis exemplum fuisse, demonstrauit, *Lat.* 5) Heroum filios laudabiles aemulari parentes debere, docuit, *Carm., Lat.*

CHRISTIAN. GVIL. FREYSINGER, *Ger.*

1) Fortunam considerans, DEO, pro celsissimae Principis ac Dominae nostrae, Dominae SOPHIAE MARIAE, cet. natalibus, laeto sidere reductis, gratias egit, *Germ.* 2) Celsi comiti ac Domino, Domino HENRICO XXX. cet. de natali die, gratulatus est, *Carm., Germ.* 3) Mentem recti conficiam laudauit, *Lat.* 4) De pretiositate temporis egit, *Germ.* 5) Eloquentiam commendauit, *Lat.* 6) Messis tempus celebrauit, *Carm., Lat.*

IO. CHRISTOPH. SCHLEGEL, *Vinariensis,*

Felicitatem piorum praedicauit, *Germ.*

IO. CHRISTOPH. GRVFFE, *Ger.*

1) De hospitalitate veterum dixit, *Graece.* 2) Iuris consultos non esse malos Christianos, demonstrauit, *Germ.* 3) Amorem patriae, exemplo Africani, exposuit, *Lat.*

IO. ANDR. SCHERBER *Io. Georg. polie.*

Maturam vitae emendationem vtilem esse ac necessariam, ostendit, *Germ.*

FR. ERN. DITTMAR, *Zoptensis*

Tranquillitatem laudauit, *Germ.*

IO. FR. NOSCOVIVS, *Magdeburg.*

1) Obsequium, praeceptoribus ac parentibus exhibendum, *Lat.* 2) dictum: *non iacet in molli veneranda scientia lecto, Graece.* 3) praemia, quae, studiorum caussa, distribuuntur, *Lat.*, commendauit.

CHRISTIAN. FR. SCHVMANN, *Ger.*

De inuidia dixit, *Germ.*

IO. GOTTLOB FRANCKE, *Wernsdorf.-Schoenb.*

1) Ennii dictum: *amicus certus, in re incerta, cernitur, Germ.* 2) Accii: *quidquid agis prudenter agas & respice finem, Lat.* exposuit. 3) ebrietatem castigauit, *Germ.*

IO. GOTTFR. ROEHR, *Ger.*

1) quod salubria monita, deuincissima mente, suscipi mereantur, 2) quod rectos mores confortia praua corrumpant, *Germ.* 3) quod, lento quidem gradu, ad sui vindictam, ira diuina procedat; sed tarditatem grauitate compenser, *Lat.*, monstrauit.

IO. CHRISTOPH. KEMPFE, *Ger.*

1) Felicitatem sapientum describens, celsi comiti ac Domino, Domino HENRICO XXX. cet. academica studia gratulatus est, 2) Contra ambitionem, 3) de rerum humanarum vanitate, disseruit, *Germ.*

CHRISTIAN. FHRENF. KOBER, *Tifluzensis.*

1) Demississimum gaudium, de celsissimi comitis ac Domini nostri, Domini HENRICI II. cet. natali die, testatus est. 2) Grammaticam laudauit, *Germ.* 3) honestum gloriae studium, *Lat.* 4) Ge-

4) Geographiae in sanctioribus litteris vtilitatem, *Graece*. 5) Modum litterarum studia feliciter inchoandi atque tractandi, *Lat.* commendauit. 6) IESVM recens natum celebravit, *Carm. Lat.*

LEBRECHT TRAVGOTT RICHTER, *Bernsdorf-Schoenb.*

1) De laetitia, post mensis tempus, *Lat.* 2) De vitae laudabiliter actae conscientia, 3) De natiuitate Christi, *Germ.* egit.

IO. ABR. KRAMER, *Hartenrod.*

Commendauit 1) Christum patientem, *Germ.* 2) Ver, *Carm. Germ.* 3) Memento mori, in morte venerab. vicarii, *Germ.* 4) Preces studiis necessarias, *Lat.* 5) Vitam vere Christianam, in memoriam reformationis Lutheri, *Lat.*

CAROLVS FRID. SCHVMANN, *Ger.*

1) A teneris adfuescere multum esse, 2) Omnia sub leges suas atram vocare mortem, *Germ.* ostendit. 3) De valetudine dixit, *Lat.* 4) Luctuosam SERVATORIS O. M. necem, 5) Eiusdem faustissimam natiuitatem, *carminibus Germ.* recinit.

IO. GOTTLIB SPENGLER, *Io. Georg. Polit.*

Aegyptum laudauit, *Lat.*

IO. FR. WEIDTMANN, *Poetewviz.*

De amore DEI, *Or. Germ.* habuit.

CAROL FR. SCHVBERT, *Zizensis.*

Gaudium suum, de natiuitate regii Saxonum principis, testatus est, *Lat.*

GE. GOTTLIB KOCH, *Langenbernsd.*

Scholas cum mercatibus comparauit, *Carm. Lat.*

CHRISTIAN. LVDOV. GERSTENBERG, *Ronneburg.*

1) Diem Henrico sacrum, celsissimo comiti ac Domino nostro, Domino HENRICO XXV. totius illustrissimae stirpis seniori, cet. faustum ac fortunatum precatus est. 2) De vanis peccatorum delectationibus, 3) Aestatem considerando, de vanitate vitae mortalium, cecinit *carminibus Germ.* 4) Messis tempus celebravit, *Germ.* 5) fortunae non esse fidendum, demonstravit, *Lat.*

IO. SAM. BAVMGAERTEL, *Ger.*

Celsissimis comitibus ac Dominis nostris, Domino HENRICO XXV. cet. & Domino HENRICO XXVIII. cet. dies natales demississime gratulatus est, alteri *Carm. Germ.* alteri *Or. Germ.*


FR. GOTTLIB LOCHNER, *Tautendorff.*


1) Eximium scholarum atque eruditionis pretium, 2) quod libenter salutare debeamus, *Germ.* demonstravit.

Ita vero, laude meritis concessa, non possumus, quin, vnicuique civium nostrorum; NICOLAI BORBONII illud acclamemus:

Nonne vides nostrae breuia vt sint tempora vitae,
Et misera in quantis iaceat tua vita periclis?
Surge, age, & immortale tibi, per saecula, nomen,
Quaere, puer, dum sese offert occasio, nec te
Illicius capiat perituris blanda voluptas.
Virtuti indulge, virtus aeterna manebit.

Id ipsum, anno praeterito, haudquaquam obseruauit Io. Gottlib. Prieser, *Bruga-silesius*, qui, beneficiis, praeter dignitatem, cum latus, metu poenae, atque ingratus, aufugit, atro indidem, ad publicum exemplum, carbone notandus.





B.I.G.

Farbkarte #13

Q. N. 352,38.
NUM LONGIOR ALICVI^{97.}
VITA VOVERI DE.
BEAT

II f
1421

INQUISITIO POSTERIOR
QVA PRIOR AMPLIFICATVR ET VINDICATVR
SIMVLQVE

CELSISSIMI COMITES AC DO-
MINI
SVMME VENERABILES INSPECTO-
RES ATQVE MAECENATES

VT ET CETERI
QVI MVSI NOSTRIS FAVENT AC BENE CVPIVNT
AD AVDIENDA PVBLICA VOTA
SVB INITIVM ANNI MDCCCXXX,
IN ILLVSTRI RVTHENEO NVNCVPANDA
SVPLICITER DEMISSE OFFICIOSE
INVITANTVR

AB
IOANNE. GOTTFR. HAVPTMANNO
A. M. & GYMNASII CONRECTORE.



OVID L. I. FAST. v. 71.
*Prospera lux oritur; linguisque animisque fauete;
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.*

GERAE
LITTERIS VIDVAE WINTERIANAE
BIBLIOTHECA POMICAVIANA